



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. LXXVIII. De Laudabili vita cujusdam fratris de Kuningsberg.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Poppo de Oßerna VI. Magister Gen. Ord. Teutonici,  
Henricus de Wida III. Magister Prussia Provinc.*

chio Brandeb. vir in armis exercitio ex experientia sufficienter instructus, cum multa militia & armatorum apparatu venit ad terram Pruschia tempore hyemali, sed quia hyems fuit tepida ad hostes fidei vicinos transire non potuit. Sunt enim intermedia paludes & alia viarum discrimina, quæ non nisi in intensissimo gelu indurantur & eis sic non induratis non patet transitus ad eos. Unde necessitate cogente rediit ad patriam & pro voluntate meriti facti recepit, licet opus volitum non complevit.

CAP. LXXVII.

*De,*

*Fratre Gerhardo Magister Pruschia.*

FRater (a) Gerhardus de Hirzberg terræ Pruschia IV. præfuit II. annis. Hic post multa quæ fecit bona in terra Pruschia, reversus Almanniam factusque Magister terræ Teutonia, ibique mortuus est & sepultus.

ANIMADVERSIO.

(a) Inter hunc Gerhardum de Hirsberg & Decessorem illius Henric. de Wida interponit Grunovius alium Magistrum Provinciale, nomine Gerhardum de Klevven, cui deinde ab Annone de Sangerhausen suffectum esse dicit, Gerhardum de Herzberg. *Vid. Grunovv. Tractat. VIII. fol. 100. b. & fol. 112. a. fin.* Confusio illa sine dubio inde oritur, quod Vicegerentes Magistri generalis non distingvat à Magistris Provincialibus.

CAP. LXXVIII.

*De*

*Laudabili vita cujusdam fratris  
de Kuningsberg.*

Hoc

*Poppo de Osterna VI. Mag. Gener. Ord. Teutonici.  
Henricus de Wida III. Mag. Provincialis in Prussia.*

**H** Octempore in conventu Fratrum de castro Kuningsberg fuit Frater Hermannus dictus Sarracenus, Natus de Svevvia, qui cum adhuc esset secularis tantum dilexit B. Virginem Mariam, ut nulli petenti in nomine ipsius aliquid denegaret; undè accidit, quod dum miles captus ab eo in bello arctaretur, ut aut certam summam pecuniæ, quam solvere non poterat, daret; aut capitalem pœnam subiret: Instructus per quendam, rogavit eum dictus miles, ut ob reverentiam B. Virginis Mariæ parceret ei, quâ prece auditâ, statim sine omni exactione absolvit eum.

## ITEM de EODEM.

**H**ic frater Hermannus cum jam receptus esset ad Ordinem Domûs Teutonicæ, & iret ad locum ubi vestiendus fuit, invenit in quodam campo multam militiam in hastiludio congregatam, quorum unus jam paratus in equo & armis præconizari jussit, si aliquis esset, qui eum invadere auderet pro equo & armis & reverentia Virginis suæ, quo audito frater Hermannus de Virgine sua Maria, cui se servituum promisit confusus, accessit ad ipsum & in primo congressu dejecit ad terram & equum & arma pauperibus erogavit.

## ITEM de EODEM.

**C**um isto fratre Hermanno jam professo in Ordine & proficiente mirabiliter de virtute in virtutem, B. Virgo Maria sapius secretè & familiariter loquebatur, & accidit quodam tempore, dum B. Virgo ei turbato vultu apparet, & ipse tristitiæ causam diligentius investigaret, ipsa respondit hoc movet me ad turbationem, quod dilecti filii mei fratres tui de domo Teutonica non referebant quondam in collationibus suis, nisi de filio meo, & me, & de gestis sanctorum. Modò non referunt  
nisi

*Poppe de Osterna VI. Magister Gener. Ord. Teutonici.  
Hartmannus de Grunbach V. Magister Prov. Prussia.*

nisi de factis Regum & Principum & seculi vanitate. Ita quod filius meus & ego & Sanctorum vita raro vel nunquam recitatur.

## CAP. LXXIX.

De

*Fratre Hartmanno Magistro**Pruschia.*

**F**Rater (a) Hartmannus de Grunbach Magister terræ Pruschie V. præfuit III. annis. Hic nomen habuit à re, quia durissima fuit cervicis. Interpretatur Hartmann. durus vir. Iste dictus fuit (b) Watmal ab illo (c) panno laneo, dicto Watmal, quod instituit fratribus defendendum. Ipse etiam duos fratres Ordinis sui, qui conspirationem fecerant cum Pruthenis in Apostasia post conflictum in Curonia, de quo infra dicitur, jussit in Elbingo comburi in conspectu multitudine populi circumstantis. De quo facto Dominus Papa tantum commotus fuit, quod ipsum Magistrum mandavit deponi de officio suo, & eum & omnes quorum consilio hoc actum fuit puniri pœnitentiâ animali.

*An. Domini MCCLVII. Papa Alexander S. Claram de Ordine S. Damiani, que postea Sancta fuerunt Ordinis fratrum minorum canoniz. adit. Hoc tempore fuit Albertus Magnus Clericus de Almania Ordinis Prædicatorum qui in scientiâ parem non habuit. Hic ipse Episcopatum Ratisponensem resignans in celsitate Colonienſi XVII. annis actu fuit legens & ætatis sue anno LXXX. & Domini Anno MCCLXXX. mortuus & Colonia est defunctus. Floruit & eodem tempore Thomas de Aquino Discipulus Alberti Ordinis Prædicatorum, qui postea canoniz. atus fuit à Papa Joanne XXII. Anno Domini MCCLIX. Constantinopolis qua per Gallicos & Venetas capta fuerat, per Palæologum Imperatorem Græcorum recuperatur. Eodem anno & Florentinis & Lucanis pugnantibus contra Senenses ultra sex milia capti & mortui ceciderunt.*

ANI-